

CONSTANTINVS MAGNVS RO
manorum imperator Ioanne Reuchlin
Phorcensi interprete.

COMPTON
LIBRARY
UNIVERSITY OF CHICAGO

ILL
PI
A
E
D
I
AT
e S
e
ratio
fio q
hab
don
tem
uol
min
certo
catus
bus
stano
mon
gra
citas
rei
dice
a me
tore
in no
ro) n
fimus
cui
te in
fitu
hoc

ILLVSTRISSIMO FRIDERICO SAXONIAE DVCI ET
 PRAESIDI PROVIN CIAE TYRINGIAE, MARCHIO
 niq; Mysia, sacri Romani imperii Hyperipparcho, Principi
 electori, domino suo clementissimo, Ioannes Reuchlin
 Phorcensis LL. doctor librum huc de uita Constantini
 magai e graeco in latinum sermonem transtulit,
 commendans sese illius protectioni.

RAT ut accepi quondam Parthis in more dux illustrissi
 me Saxonum Friderice Romani imperii elector, nemini
 esse cōcessum absq; munere principem salutare. Cuius imi
 tatione iam ista mihi exoptata oritur accedendi tui occa
 sio, qui hoc & si tantillum munus affero, tamen spero non
 habebis despiciatum, eo quia sit de subitaneo intuitu exile nimis. Si em̄
 donantis ad animum ipse intendas oculos, & meam erga te uolunta
 tem diligenter ponderes, ingens erit & grande, nec cum illis Sibyllae
 uoluminibus (quia longe praestantius) comparandum, quae tamen nō
 minoris uenibant Tarquynio prisco quam trecentis philippeis, neq;
 certo Philolai libris, quos Plato dicitur decem millibus denariū mer
 catus, neue Speusippi philosophi, quos Aristoteles talentis atticis tri
 bus quantumuis pauculos emit. Hoc enim libello uitam Magni Con
 stantini Romanorum quondam imperatoris e graeco in latinum ser
 monem traduxi, spectabile quidem exemplar uiris fortibus atq; ma
 gnanimis, quos oporteat scientia rei militaris, uirtute, autoritate, foeli
 citate praeditos, optimo tandem iure, una omnium uoce, gubernadae
 rei publicae praefici, & in orbis terrarum fastigio locari. Eum itaq; co
 dicem tuo nomini dedico, q̄ in hoc negotioso tempore meo nihil
 a me tibi potuit inter chartacea munera donari absolutius & ut arbi
 tror magis acceptum gratumq;. Quom unus tu & prorsus unicus sis
 in nostra germania (pace omnium regni praesidum & praesulum dixero)
 nō solum equestris exercitii & rei bellicae, uerum etiam bonarum
 simul literarum & literatorum omnium princeps maxime studiosus,
 cui potissimum debeatur huius Constantini praecleara uita pari uirtu
 te imitanda. Ut enim missa faciam strategemata tua tanquam ab in
 stituto meo aliena, quae latissimae prouinciae & norunt & laudant, iam
 hoc ipsum ueniet omni posteritati admiratione dignum, nō tantum

q̄ sacra & rem diuinam quantis potes uiribus ornas, ut multo lucidi-
us tecum q̄ ceteris germaniæ in locis splendescant, quod isti thesauri
ecclesiæ tuæ collegiata Vittenburgensis cōmonstrant, uerum etiam
q̄ inter arma & enses, inter thoracas equos & phaleras (mirabile di-
ctū) curam tantam & tam sumptuosam adhibes rei literariæ ac om̄is
generis doctrinæ, id quod plurimum ab aliis militaribus hominibus
nostra ætate negligitur ne dicam contemnitur, dum illorum quisq̄
tanto uult esse Marti propinquior, quanto sit ab Apolline remotior.
Quā in causa longe prudentior tu quidem qui Palladi iungeris, ea em̄
& armorum dea est simul & artium. Hinc illa tua illustris cunctarum
disciplinarum & omnigenæ philosophiæ uniuersitas, quam à primis
fundamentis magnifice plantasti, quam doctissimis uiris ceu coronā
fulgentibus gemmis adornasti, quam annona prouentibus & stipen-
diis abunde ditasti. Hinc illa insignis bibliotheca, te architecto per ar-
tificum exquisitissimorum curam industriam diligentiam & ingeni-
um nuper ex intimis areis ad fastigiumeducta, quæ sit omniū omnis
formæ ac conditionis librorum illustre diuersorium, quo cogis ho-
spitari peregrina omnis ætatis & omnium autorum uolumina. In eo
egregie uincens & exuperans acerrimos olim ueterum librorum con-
gestores. Polycraten Samium, & Pisistratum Atheniensem principē,
& ipsum Euclidem quoq̄ Atheniensem, & Nicocratem Cyprium, &
Pergami regnatores, & Euripidem poetam, omnes philobiblos & li-
brarios, & Aristotelem philosophum, qui primus omnium (Strabonis
iudicio) libros congregauit, ægyptiosq̄ reges bibliothecam ordinare
docuit, suam autem & cellam librariam & unā scholam Theophra-
sto reliquit, qui cunctos libros suos Neleo tradidit. Is deinde Scepsim
singulos quosq̄ detulit, a quo illos ipsos Ptolemæus ægypti rex cogno-
mento Philadelphus, corpore quanquam imbecillis, attamen animo
fortis, cognoscendarum rerum studiosus, simul etiam quæcunq̄ pote-
rat uel Athenis uel tum Rhodi conquirere ad bonas literas pertinen-
tia emit, Alexandriamq̄ aduexit. Eorum Athenæus in dipnoso-
phiste libro primo, & Iustinus philosophus atq̄ martyr in suo paræne-
tico abunde meminit. Talibus te possum uiris librorum coaceruato-
ribus, item Persarum ægyptiq̄ regibus optima causa æquare, licet nō
dum numero, at scilicet uoluntate tamen. Nam memoriæ proditum
reliquit Aulus Gellius. Athenis una in bibliotheca fuisse ad millia fer-

me uoluminum septingenta. Quæ posteaquam erant Alexandriam translata. Heu heu Alexandrinorum inimici & hostes, incensa bibliotheca horrido igne combusserunt uniuersa. O quanta pauperies, o lachrymabile damnum, o tot & tam præclara flammis absorpta ingenia nunquam reditura, Male igitur pereant incendiarii librorum, pereant omnes talia æquo animo ferentes. percutiat eos deus egestate, febre, frigore, ardore, aestu, aere corrupto, ac rubigine donec pereant, Percutiat eos ulcere ægypti, scabie & prurigine, ita ut curari nequeant, percutiat eos amentia & cæcitate ac furore, nec habeant qui liberet eos, tradantur Satanæ ut spiritus saluus fiat. Tu uero excellentissime princeps benedictus sis, qui libros undequaq; corradis & colligis, ut & præsentibus nobis & posteris eos perinde atq; preciosissimos thesauros uenerandæ philosophiæ cultoribus, & uariarum scripturarum cupidis diligenter & accurate conserues. Benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro. Benedictus ingrediens & egrediens. Emitteret dominus deus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum. Videbuntq; omnes terrarum populi qd nomen domini inuocatum sit super te & timebunt te optime princeps, patriæ tuæ decus & claritas, sol nostræ Germaniæ, qui tuos omnes præclariter illustras. Vnde Saxones Mysi & Tyregetæ tui, qui nunc Tyringi mutato uocabulo nominantur, rectius gloriari possunt sese ante solem natos esse q̄ Arcades, qui se affirmarunt ante lunam ortos. Fuit enim quondam inter nationes multa concertatio, quæ illarum esset antiquior, nobilitatem suam ex annorum uetustate uestigantes, Iudæis se primos hominum fuisse asserentibus, Moysæ autore. At ægyptiis se antequam astra orirentur natos, testibus & non cõtemnendis Leonte in primo libro ad matrem, & Cnossio in primo geographicorum Asia, quibus ad stipulatur Nicanor & Archemachus in metonymiis, & Xenagoras in primo de temporibus, ut Lucillus Tarræus in argonauticis commentariis notauit. Phryges autem se quibusdam indiciis argumentis, priores omnibus fuisse putabant, qd Psammetichus quondam ægyptiorum rex cogniturus qui homines primi fuissent, concluderet duos infantes recens natos in solitudinem, iubens ægyptiis ut ne quis ullo cum illis sermone loqueretur. At quodam tempore cum puelli fame laborarent in hanc uocem proruperunt clamantes Bek Bek, & compertum fuit apud Phrygas Bek panem significare, Vnde coniciebant primos

natu eisdem fuisse. Id longiuscule commemorat Halicarnasseus Herodotus in libro secundo qui Euterpe inscribitur. Sed Arcades in hac permansere fama quod dicerentur ante lunam orti. Sic Apollonius Rhodius Argonauticorum quarto.

Ἄρκαδες δὲ οἱ καὶ πρότερον ἑλληναίης ὑδρονται.

Id est. Arcades qui etiam ante lunam celebrantur. Cuius existimationis hanc causam esse comperimus, quod Endymion primus uerum motum & numerationes lunae inuenisse dicitur. Qua scientia gens ista Endymione suo qui & genere arcas erat illustrata fuit. Ideo Mnaseas aiebat Arcadas ante lunam regnasse, hoc est quod reges habuissent antea quam Endymion nasceretur, post quem primum luna oriri & occidere arte & modo deprehensa est. Cui haud absimile de aegyptiis arbitramur, qui primi famigerati sunt de stellis & earum supputationibus praecipua tradidisse, post quos in hominum intuitus & artificiosam cognitionem deueniunt. Pari modo Tyregetae Myfi & Saxones amplissima gens, cuius tu summus & rector & moderator es, iactare possunt ante solem se natos esse, cum prius multo tempore rudes admodum, corporis tantum uiribus freti, Britanniam Galliam & aliorum regna uiolenter inuasere. Nunc autem post tuos splendidissimos natales tuis solaribus radiis illustrati, mentis & rationis usu didicerunt patriam suam seruare, honestius esse quam alienam incurfare, tandem aliquando per regias uirtutes tuas ad mansuetiorem humanitatem redacti, apud quos nunc sit, & futurus permaneat amor sapientiae quae philosophia nominatur. Quaeque dimissis fabulis & aenigmatum inuolucris, si de germanorum profapia certamen erit, nemo probiter suum exordium tuo anteponet. Thraces enim unde tibi genus & origo est, multis & historiis & carminibus celebrati, etiam ante res troianas claruere, quod primi Argonautae confirmantur. Nam Orpheus ille senex qui tum unus ex eis & thrax erat sic de se ipso scribit.

Θρηκῶν εἰς ἑὺπωλον ἐπέχετο λῆος ἰήσων.

καὶ μ' ἐκίχον κυδαρην πολυδαίδαλον ἐν τῶνοντα.

Id est. Thraciam ad pulchros equos habentem aduehebat diuus Iason. Et me inuenit citharam artificiosam parantem. Thracum autem incolae Cimmerii, qui a graecis ita nominantur, Latinis autem Cimbri tres in populos diuisi fuerunt, Mysos, Axenos & Tyregetas, singulos in extremis Istri quem nos Danubium uocamus finibus, aquilonem uersus habitan

res. Ex quibus Mysi quondam Troianis à græcorum copioso exercitu
ferme tū decennio inimiciter obsessis auxilio uenerūt, robusti pugiles
Homero attestante antiquissimo rerū gestarū enarratore Iliados x.

Πρὸς τὴν ἑλάρχον λυκιοὶ μύσοι τ' ἰγέρωχοι.

καὶ φρύγβη ἰππόδαμοι.

Id est. Iuxta tymbam fortiti sunt Lycii
Mysiq; strenui Et phrygii equites.

Laudat autem Mysos de terra Thracum uenientes, dicens eos esse
bellaces, illustres atq; claros, & hominum iustissimos xiii. Iliados.

Θρηκῶν καθρώμενος ἄαρ

μυσῶν τ' ἀγχεμάχων, καὶ ἀγαῶν, ἰππημολγῶν.

ελακτοφάρον, ἀβίωντε, δικαιοπάτων ἀνθρώπων.

Id est. Thracum respiciens terram, Mysorum cominus pugnātium,
illustriūq; equas mulgētium, Lac comedentium, non sumptuosorū
scilicet tenuis uitæ ac duri uictus, iustissimorū hominum. Ecce quanta
laus à quāto autore & qua uetustate. Adhuc Possidonius de illis refert
q; sint religioni indulgentes, & de proximo pugnaces & boni bellato
res. De Axenis uero apud Prisciani Dionysium mentio fit qui ait.

Hi tanain habitant fluuium prope Sauromatarum

Cui sunt uicini Sindi quoq; Cimmeriiq;

Post hos Cercetii iuxta quos Axenus altis

Fluctuat æquoribus.

Quaḡ aliter in græco, Vbi Cimbrorum ac
colās quosdā tunc Axenos nominabant id est inhospitales, à rudi tru
ciq; barbarie incolarū, de quibus Pōtus prope situs priscis fuit Axinus
denominatus, sic eīm illo æuo uocabatur, ut est apud Orphea in argo
nauticis. Et Ouidiū in tristi. Dictus ab antiquis Axenus ille fuit. Nunc
uero postquam aduenarum commercio molliti sunt mores, & habi
lior exteris lingua facta Euxinus dictus est. Sed Tyregetas eodem loci
utranq; Istri ripā incoluisse Strabo asseuerat in septimo. Hi omnes po
puli siue à Scythis exacti sint ut multi sentiūt, seu propter inundantis
maris incursum non uno contingētem impetu, cum eorum terras de
uastasset Oceanus, territi nouas sedes toto orbe quaesuerint, ut Erato
sthenes & Clitarchus scripsisse ferunt, & L. Florus de bello Cimbrico
confirmat, aut q; nebulosa regio est, ut testatur Homerus Odysseæ
xi. Fortasse cœlum caliginosum propter aeris inclementiam fasti
diuerint, seu certe auaritia ingruente acquirendiq; cupiditate inua
lescente, à suis habitationibus ad obtinendas opes transmigrarint.

Quicquid horum in causa erat, id certe constat quod maxima pars eorum Boios qui trans rhenum uenerat, ut Iulius caesar in primo commentariorum ostendit, & ad Harcyniam syluam ubi nunc uos sedetis, mansionem sibi fixerant, ut ait Possidonius, mox eiecerunt & expulerunt, sequi ipsos illius terrae quae iam tua regio est habitatores pro Boiis fecerunt. Reliqui uero memoratae transmigrationis uiri cum liberis & uxoribus paulo superius iuxta radices alpium ad Celtas qui tum uocabantur Galli sese corripuerunt. Nam omnes Gallos opinione Strabonis graeci nominarunt Celtas. Et Lucillus Tarræus in quarto Apollonii Alexandrini scribit in hanc sententiam. Harcynium iugum inquit est Celtarum sylua. Sic itaque ad Gallos & Teutiscos ac Heluetios Tigurinos partim peruenerunt, ut Romanis pro quaerendis sibi sedibus bellum inferrent. Ex aduersum resistētibus Syllano, Manilio, Cepione, Mario ducibus. Nam & Marius tandem illos funditus deleuit. Alii procul in Calliam Narbonensem spaciati sunt, incerti quo diuerterent, nec tecto nec hospicio gaudentes, ut nomini satisficeret. Axeni namque dicti sunt qui sine hospicio uagantur. Tandem circa Bituriges cum permanēdi sibi locum elegissent, coeperunt lingua Gallorum pro axenis Saxones uocari. Sic Lucanus in primo.

Signa mouet, gaudetque amoto santonus hoste.

Et Biturix longisque leues Saxones in armis.

Sane hoc saepe accidere solet in nominibus propriis ut kataprosthesin litera. S. uocabulo praeposatur. Nam quos graeci Egestanos Cicero & Ptolemaeus Segestanos nominant, quoniam Egesta oppidum Siciliae ut Festus Pompeius meminit, ne obsceno appellaretur nomine. S. literam sibi praeposuit. Et Apollonius Alexandrinus Sillei quod alii dicunt Illei filius reperitur, ut scribit Theon in Argonauticorum commentariis, & Suidas assentitur. Quodque graeci e nos si pronunciamus, & axon dicitur saxum in quod populorum leges sculpuntur, pluraque si militer. Ita Saxones nuncupati sunt pro Axenis e penultima uocali mutata in o ut tege toga, Eiuscemodi quoque usu quem prisca latinorum Apollinem per e breue ut Festus ait, eundem graeci Apollona per o longum in penultima proferunt. Nosque in quotidiano sermone Apollinem enunciamus, hoc modo compar in multis reperies. Vsq; ad haec igitur tempora durat pro Axenis Saxonum nomen, quod in Narbonensi Gallia cum antiquitate nunc euauit, solaque ditionis tuae colo-

nia ex ueteribus mansit, & in secula permanebit. Hanc itaq; tam alte
 repetitam genealogiæ tuæ radicem tam antiquam tam inusitatam
 ac non uulgariam illustrissime princeps recte cogito apud nonnullos
 reprehensionis aliquid, apud quâ plurimos uero & maxime annalium
 historiarumq; peritos certe multum admirationis habituram, q̄
 in tam breuem tabellam nobilissimi sanguinis tui fontanam scatuti
 ginem à fundamētorum primordiis nullo fucō addito tam uere con
 gesserim, nihil imitatus ætatis nostræ quosdam triuiales genethliati
 cos, qui regum & principum quotquot exornandi sunt gentiliciam fa
 miliam, uel à profugis Troianis, uel ex incestu natis Romanæ urbis
 conditoribus deducere longis ambagibus conantur. Sed tam uniuersis
 tua clare patet profapia, ut figmento non sit opus. Erit satis ad exi
 miam generis tui laudem, q̄ stirpis tuæ ortus est nulli germanorum
 secūdus. Cætera præconiorum tuorum omni ubertate ac quasi sylua
 dicendi merito exponenda, committo in præsentiarum historicis tu
 is, quorum arbitror magna tibi copia est, qui in tanto & tam splendi
 do non solum tuorum bene gestorū, uerum etiam maiorum tuorum
 campo literario non poterunt esse non eloquentes, quos multo prius
 uerba deficerent q̄ res, quum de te scripturi essent, de statura & habitu
 corporis atq; membrorum, de moribus tuis optime institutis, de peri
 tia & labore in imperio, de cautela & audentia in expeditionibus, de
 constantia & seueritate, de amore & fidelitate militum, de fide ac stu
 dio erga adhærentes & clientulos, de dilectione amicorum, de mode
 ratione & clementia, de operibus publicis instructis, de correctione &
 reformatione abusuū & excessuum, de bellica uirtute, de eloquētia,
 de honoribus tibi decretis, de spretis adulationibus, de cura reipub. de
 fauore & dilectione erga te omnium bonorum, de studio acriter tueū
 di laceffitos, de ope afferenda oppressis, de restitutione spoliatorum,
 de amore tuo in omnes uirtute præditos, de omni honore nobilis tuæ
 profapiæ, & infinitis huiuscemodi. Id nisi esset, & iis tu si careres, plane
 recenserem nūc tibi Héricos, Otthones, Lotharios, omnes tui generis
 Saxones, circiter septem aut octo serenissimos & sacratissimos Roma
 norum imperatores domi tuæ natos & alitos, omnes deniq; cognatos
 tuos & affines. Quanquam unus iam mihi ex affinitate tua satis & su
 per est Constantinus Magnus imperator, genere Dacus, Istricola, ma
 ioribus tuis propinquus, cuius uitam ab Anonymo græce cōscriptam

tibi præ cæteris omnibus offero. Noui enim te & uirtutis illius amore
& sanguinis coniunctione regio mores suos plus aliis studiose imita-
turum, cum in omnibus laude dignis tum in eo maxime, q̄ diffamati-
ones delatorum acerrime omnium oderat, nihil magis inhumanum,
nihil tam crudele iudicās q̄ hominem hominis famæ insidiari, & in-
famiae libellos uulgo prodere. Quapropter multorū famosas scriptu-
ras à sacerdotibus & religiosis contra uiros bonos ei porrectas, idē ipse
præsentibus detractoribus una hora simul flammis combussit, iura-
mento affirmans se illas non legisse, cū esset alioqui uindictæ seuerissi-
mus executor, in temeratores uiolentos & innocentum oppressores.
Vnde & Maxentium exterminauit, & Lycinium profligauit, quanquā
sororis suæ maritum, tanta & tam humana commiseratione erga la-
cessitos iniuria semper erat affectus. Enimuero senserunt optimi quiq̄
eum regem innumeris uirtutibus esse præditum, fortem, iustum, seue-
rum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt
regiæ laudes. Sed ob hoc unum præter cætera, q̄ tantus excanduit in
diffamatores & bonorum uirorū turbatores, Roma tota & uniuersi
romani publico applausu saluatorem eū & benefactorem clara uoce
nominauerunt. Hæc te moueāt exempla maiorum tuorum, ut iniuria
laceffitis præsto feras auxiliū, & turbatores pacis si aliter fieri nequeat
grauiter percussos instar Moyfi illius diuini ducis abscondas sabulo, ut
habeāt quietis appetentes ad quem haud frustra confluant. Sic eū VI
pianus de præsidibus qui prouincias regunt plane statuit his uerbis.
Ne potētiores uiri humiliores iniuriis afficiant, neue defensores eorū
calumniosis criminibus insectentur innocentes, ad religionē præsidis
prouinciæ pertinet. Multa erunt crede mihi uirtutū tuarū monumen-
ta, sed maxime illorū incolumitates, quibus salutē & tranquillitatem
peperisti. Quo ardentius ad te Saxonēsq̄ tuos confugio, ceu ad Phæa-
cas & Alcinoū Vlysses, ut me contra quorumlibet latronum incur-
sus semper tuearis. Ego enim cum Nasone uera loquor.

Nunc erat ut posito deberem sine laborum

Viuere, me nullo sollicitante metu

Quæq̄ meæ semper placuerunt ocia menti

Carpere, & in stadiis molliter esse meis. Ad quod tu me tibi o illu-
strissime imperii Romani elector, totis uiribus pacifice cōserua, cuius
arbitrio & uniuersitatis tuæ Vittenburgēsis iudicio scripta mea perpe-
tuo fore subiecta promitto, Idibus sextilibus. Anno M. D. XIII.

CONSTANTINVS MAGNVS ROMANORVM
imperator, è græco in latinum traductus Ioan
ne Capnione Phorcensi interprete.

ECORATISSIMAE rerum gestarum enarrationes non
tantum auditoribus quandam solent uoluptatem parere.
d Verum etiam ad imitandum quoq; haud mediocres exci
tare conatus. Gaudet enim mortalium auditus eiuscemo
di oblectari deliciis, haud secus atq; uisus hominis puro
quodam obiecto & splendèri. Neq; iidem solum & auris & oculus, sed
ipse nihilominus intelligendi sensus, quo uno magis arbitramur nos
& esse & nominari homines. Hæc cū ita se habeant, certe & nos quoq;
pulcherrimam quandam et utilissimam recitatione in medium con
ferentes, aures uestras optimarum rerum auditu demulcebimus, et in
telligentiæ oculos iucundissima quasi descriptione pascemus. Ea nãq;
non pauci quæ de Magno illo rege Constantino dicenda fuerunt, siue
historici seu annalium scriptores alii aliter tractauerunt. Vniuersi ta
men summo scribendi genere copiosaq; oratione confisi, multis et
abundantibus uerbis tentauere, ut dum exuberanti sermone fluerent,
uix à nobis accipi diiudicariq; possent. Itaq; sibi ipsis complacere co
nati, causam omnem proposuerunt absq; audientium commodo et
utilitate. Nos autem externarum quidem artium quantulūcunq; adepti,
nostrarum uero aliqua ex parte non ignari, libros istorū nostra manu
uersauimus, et instar apis uniuersos flores pro modo et modestia depa
sti, meliora et utiliora incōpto et humili stilo (ut pluribus foret usui)
nihil domo afferentes exarauimus. Quorū initia hoc modo sumi con
uenit. Magnus ille et fama insignis ex imperatorum numero Cōstan
tinus, quantum uicerit omnium non tantum sui æui, uerum etiam an
teriorum regum et præsidum æqualem uicem, et ubiq; constat, et cun
ctis patet. Non enim pro dimidia parte tantū gloriæ adeptus est, neq;
cum esset splendidis ortus parētibus, à magnitudine paternæ uirtutis
degenerauit. Neq; obscuris maioribus natus, ex humili profapia in lu
cem prodiens, alios exegit reges, ut pro iis ipse impetu uiq; regnaret,
Sed mox uirenti laude rex illi pater fuit Constantius, regum clarissi
mus atq; piissimus, nec mediocris regni dominator, nec paucorū mili
tum, aut fractæ potētia. Quin immo ut ita dicam totius penè uniuersi

et innumerabilium gentium et quæ nominari haud queant imperator, quippe qui ex Claudii filia natus esset. Deinde laudatissima præ omnibus fœminis Helena mater non solum decora, sed etiam uenerabilis hæc ipsa erat. Iste uero Daciæ oppido exortus, quo in loco à parentibus et genitus simul et nutritus fuisse perhibetur. Vnde uulgo dicebant imperterritos et inuictos esse Dacas. Nihilominus tamen illos degere uitam temperatam et modestam ferebatur. Diocletianus itaque tunc sceptrum imperii Romani gerens, cum Constantium ut maior in eum beneuolentiæ fides deprehenderetur, educere curaret, iam pridem hunc maiestate dignitatis cæsareæ ornare studuit. Et quam is sibi habuit Helenam uxorem, beatissimam ut diuulgatum erat fœminam, abdicare à se, ille, alteramque nomine Theodoram, Herculi Maximi filiam etiam inuitum ducere coegit, quo magis indissolubile Constantii erga se persisteret connexionis pignus uadimoniique uinculum. Hoc Galliam ei uniuersam, Britanniamque usque ad fines oceani regendam commisit. Præterea celeberrimum illum atque beatum Constantinum Constantii filium apud se retinuit, cæterisque prouinciis eius fidei creditis præfecit. Commemorare libet quod in libris maiorum continetur sanctum illum et admirabilem prophetam Moysen, in tyrannicis atriis enutritum et in omni sapientia ægyptiorum fuisse institutum, qui tamen meliore usus consilio, cunctis eisdem aduersus et uerbo extitit & opere. Communem namque sibi calamitatem subire cum suo populo elegit. Quique secundum apostolum Pharaonis filie negabatur filius, is postea deus Pharaoni & genti suæ dux constituitur, ut hebræos à seruitute liberaret, & ægyptios graui diuinitus affligeret uindicta. Hæc anteriorum ætati sint enarrata. Nunc autem idem ipse deus eadem nobis miracula conficit. Qui enim circa Diocletianum erant tyranni contra uniuersitatis deum bella gerere ausi, ecclesias undique depopulati sunt. Medius autem eorum inciderat Constantinus, paulo post tyrannicida. Iam uero adolescens adhuc & tener & specie pulcher, & facie floridus. At is qualicumque creuerit nutricio, aut cuiusnam adleuerit sumptibus, nunquam tamen etsi iuuenis in tantum temeritatis collapsus est, ut singulari familiaritate communicaret prophanis. Emulatio namque paterna ipsum incitabat, ut traheretur ad optimas res affectione. Cunque iam esset ætatem iuuentam supergressus, summum coepit apud illos honorem adipisci suo merito, quippe qui pulchritu-

dine polleret corporis & staturæ magnitudine tanta, ut cæteris con-
 ferri nequierit, & ui roboris omnium præstâtissima ita ualeret, ut nõ
 nullis formidini esse posset, Dein accederet id quoq; quod animi uir-
 tutibus lóge magis excelleret, q̄ corporis uiribus modestia, téperantia
 bonarum artium institutione, innata prudentia, & cœlitus accepta sa-
 pientia. Quare qui rerum potiebantur, cernentes eum inter hæc glori-
 osum fore, magnanimum atq; fortem, item prudentia & solertia ple-
 num, dolo inuidiáq; moti, & simul q̄ uererentur ne non tuta satis fu-
 tura eis esset cum illo quotidiana conuersatio, clam insidias homini
 parabant. Quas hic cum præsentisceret salutem sibi cedendo peperit,
 etiam illud ipsum instar prophetæ Moyfi obseruans. Ad hoc omne co-
 operatus est ei deus, propter paternam successionem, eo q̄ hũc ipsum
 prædestinauerit superstité fore. Vbi autem ex insperato agnouit ad-
 esse filium Constantius (ad patrem enim corripuerat se concito gra-
 du) suscepit eum mature admodum. Quodam igitur die cum pater
 ex nouacula moriturus esset, seq; de lecto protenderet, ut ambabus fili-
 um complecti posset dixisse dicitur, mortem esse immortalitate meli-
 orem. Sicq; testamentum inter filios filiasq; ordinasse pro sua senten-
 tia, Quo in loco hæreditatem regni Magno Constantino ascribi tra-
 diq; fecit, post hæc deo gratias agens requieuit. Sunt qui asseuerent Cõ-
 stantio & religionem præ cæteris maxime acceptam fuisse, & idola
 odio abominationiq; aiunt & illum christianis consulibus, in rebus
 agendis studiosissime usum esse, semp̄q; fuisse & mitem & benignũ.
 Et q̄ agnosceret subditorum parsimoniam sibi ipsi nullos unquam
 thesauros collegisse. Vnde etiam hæc ex dei dispensatione cõsequutus
 est, ut cum primoribus imperatoria maiestate participaret, & ex quat-
 tuor posterius demonstrandis imperatoribus primus religiosus Augu-
 stus cognominaretur, & reliquos reges bonitate prolis uinceret. Quid
 tum? Certe Magnus Cõstantinus uiriliter succinctus, principatum ag-
 greditur, quæq; prius nationes sub patris officio gubernatæ fuerát, eas
 ipse non sine plurima humanitate uisitat, oculos nihilominus iactans
 ad reliquos terrarum populos. Sic Britannia in ipso sita Oceano poti-
 tur, quam suæ ditioni subiecit. Sic aliam post aliam regionum partẽ
 obseruat, usq; dum uidet Romani imperii regnantem ciuitatem ty-
 rannica seruitute oppressum iri. Tũc sibi deum inuocauit adiutorem,
 recte secum ipse statuens, fortiori auxilio fore opus q̄ ut militari so-

lum manu tantam rem auderet, propter malas & ueneficas magia ar-
 tes, quibus praua tyranni mens turpiter imbuta impudentissime ute-
 batur. Vnde patrium deum colere præligens, eundem illum inclama-
 bat supplicis & precibus obsecrando, ut quisquis tãdem is esset, sese pa-
 tesceret, & dexteram suam clementer ad propositum opus porrige-
 ret. Oranti autem in hunc modum regi & accurate supplicati, coram
 omni exercitu dei signum apparuit maxime admirabile in ipsa meri-
 diei hora. Ecce em̄ fulgurant radiorum iactus late per aerem supra so-
 lem in crucis modum figurati, latinis literis quasi per stellas inscripti
 sic. In hoc uince. Cum igitur post hanc uisionem ultra procederet, do-
 nec ad uesperã dies inclinabat, semp̄q; miraculosam hanc appariti-
 onem secum ipse meditaretur, pro rata noctis parte in somnũ solutus
 est. Quo in somno christus illi cũ eo signo apparet, quod in cœlo iam
 ante coruscauerat, loquiturq; regi uerbis huiuscemodi. Fac tibi signi
 eius quod uidisti similit̄ imaginem, eamq; publico edicto iube castris
 tuis præferri, sic em̄ oēs tibi hostes tuos subiugabis. At is somno expe-
 ctus mane filitariis amicissimisq; suis in somni arcanũ aperuit. Mox
 accersiri præcipit aurifabros, quibus mandat ut eam imaginem imi-
 tentur auro preciosisq; gemmis. Erãtq; eius figura tali apparatu, longa
 quidem hasta bracteis aureis amicta, in fastigio cornu habens obli-
 quum in crucis formam distetum, in summo uertice corona
 desuper nobili figura quã rhochia zomenon appellamus in ar-
 ctum constricta, quã primordiales christi characteres ostende-
 ret, transuerso de cornu uelum pen- debat aureum, imaginibus
 sacri regis liberorumq; pectore tenus acu pictum. Hac igitur om̄is ad-
 uersæ potestatis ultrice imagine, omnino in ipso bello usus est rex, qui
 & uniuersam militiã eadem simulacra ferre præceperat. Sed ista usq;
 huc pauca sint, postq; aut̄ uisus est recte deum colere, asciiuit rerum sua-
 rum fidos secretarios, e quibus unus exitit Siluester beatissimus urbis
 Romæ episcopus, abs quo propter obtinendam salutem baptisma su-
 scepit, Ibi ecquis ille deus sit, qui ue tam sanctæ imaginis quod in signo
 gestare deuouerat modus, quã fuit perquam diligenter. Itaq; omnem
 de saluatore christo rationem edoctus est. Deum esse sempiternum, &
 propter nostram salutem induisse carnem, passum fuisse, resurrexisse,
 & in cœlos ascendisse. Inde rursus uenturum ut iudicet uiuos atq; mor-
 tuos. Signum uero quod apparuerit esse immortalitatis memoriale,



ac deuid...
 terris. Igi...
 profecto...
 repretati...
 cerdores...
 cultu fore...
 tyrannica...
 rem urbe...
 puris stud...
 præterite...
 ille auder...
 iuratus, de...
 raptas & ill...
 um Romo...
 occasio i...
 beios cur...
 ue praua in...
 ueros par...
 infantes...
 sacrificia...
 Accellit a...
 nona pen...
 omnia se...
 tas, cert...
 marus e...
 omnem...
 nis ut o...
 uis prim...
 tens celer...
 accessit...
 rem, sed...
 institui...
 num ext...
 lis quib...
 educit...
 em expo...

ac deuictæ mortis triumphum, quem uictor ipse statuit cum esset in
 terris. Igitur talibus arcanis initiatus, ex tanta & tam cœlesti uisione,
 profecto dignissimus est iudicatus, cui mysteriorum contingeret in-
 terpretatio, ut dictis acquiesceret, nullatenusq; dubitaret. Vnde & sa-
 cerdotes dei assessores suos fecerat, arbitrans uisum sibi deum omni
 cultu fore honorandum. Cuius optima spe fretus, mox impendentem
 tyrannicum ignem extinguere studuit. Erat enim ualidus qui regnan-
 tem urbem præoccupauerat Maxentius, quiq; supersticiosus & im-
 puris studiis qualiacūq; pro uoto conabatur. Ita q̄ nequierat ullum
 præterire facinus, quantumuis nephandum & flagiciosum quod non
 ille auderet. Innumerabilibus enim ingenuis matronis turpiter in-
 iuriatus, odibile ac infestum adegit à maritis diuortium, à quibus
 raptas & auulsas suis ipse militibus coniungens, multa millia ciui-
 um Romanorum in ipso trucidauit ciuitatis medio, & alias aliis
 occasionibus inuentis plurimos occidendo tam patricos quam ple-
 beios cuncta oppressit tyrannide. Ei autem tyranno finis hic erat,
 ut prauè omnia uersaret magicis adinventionibus. Quandoq; enim
 uteros pregnantium foeminarum discidendo aperiens, quandoq;
 infantes nuper ortos ad nephanda dæmoniacarum inuocationum
 sacrificia euiscerans, sperabat inde constantem obtinere uictoriam.
 Accessit adhuc q̄ in tantam res publica Romanorum deuenit an-
 nonæ penuriam, ut ore humano satis explicari non possit, Quæ cum
 omnia secum animo uolueret Constantinus, commiseratione mo-
 tus, certe quidem cum omni apparatu contra eam tyrannidem ar-
 matus est, & uictoria signa id est salutiferam domini crucem, ante
 omnem exercitum eleuari portariq; decreuit, mandans nihilomi-
 nus ut obseruarentur eo loci cohortes Maxentii, quatenus dicto citi-
 us ac primo impetu caperentur. Itaq; dirigens aciem, & castra uer-
 tens celeriter Romam uersus metatus est. Cumq; urbem proxime
 accessisset, suspicio Romanis oritur, non propter tyranni crudelita-
 tem, sed proprium commodum & regnandi cupiditatem hoc bellum
 institui. Qua propter dum inuenire quiddam rex cogitur, quo tyran-
 num extra muros ad pugnam contra se alliciat, deus ipse quasi uincu-
 lis quibusdam scelestum hunc, & noxium longissime extra portas
 educit. At ego ne uobis incredenda uidear dicere, totius belli seri-
 em expositurus quam breui sermone rem omnem coaceruabo.

Nam subito pauore terga uertit Maxentius, cum suis satellitibus & ha-
statorum turma, & (o dei iudicia) singuli ceciderunt in profundum
sicut lapis, corruente fluminis ponte, quem ipse dolo prius ad capien-
dum regem suffossis decipulis ita molitus erat, ut persequentium se
agmen mergeretur, hac enim fraude cogitauit posse Constantinum
prosternere. Igitur dei nutu præter opinionem ruptis iuncturæ machi-
nis, in ipso tyranni transitu corruunt fossæ, structuræ decidunt, & pri-
mus miser ille, mox circū se scutiferi atq; satellites, inde quotusquisq;
stipatus & armis munitus in ima deurgunt, ubi licuit uel hoc dicere,
lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quā fecit. Pro qui-
bus rex Constantinus deum hymnis laudans, cum uictoria urbem in-
gressus est, uniuersi uero turmatim illum cum ingenti gaudio suscipi-
entes, saluatorem eum & benefactorem clara uoce nominauerūt. His
iste laudibus nō est effœminatus, nec mollior factus, sed deo cuius tan-
ta sensit auxilia gratias agens, mox publico uoto auctori uictoriæ sup-
plicationes decreuit. Sequitur in prouinciis ingens ubiq; laticia, epi-
scoporum augetur honor, exadificantur ecclesiæ, beneficia in paupe-
res conferuntur, frequentia regis illustrat episcoporum concilia, cre-
bræ uictoriæ contra barbaros accidunt, statuuntur trophæa, tendun-
tur insidiæ regi, tum à Maximino, tum à cæteris, præsentuntur par-
tim, & aliqua reuelantur. Ita decimus regni sui trahitur annus, quo
interea nihil fit nisi quod ad dei cultū popularēq; festiuitates attinet,
& quod ad seruandam pacem cōducit, donec nationes ad orientē sitæ
regem de quadam intolerabili oppressione certiores faciunt. Lici-
nius namq; sororis sui maritus contra oriētis episcopos male commo-
tus, prohibuit ne synodi fierent, & christianos infinitis subiecit cruciati-
bus. Legēmq; tulit qua sanxit, ne post usquam inter se ecclesiam cōgre-
garent. Item ut extra portas habitarent, quin etiam oppidorum & ur-
bium custodibus iussit, ne quis eos inuiferet, neq; cibos præberet, epi-
scopos interfecit, ecclesias destruxit, & omnino inhumanum contra
christianos concitauit tumultum, crudelissimamq; instituit persecuti-
onem, & regem nostrum ultra non fuit late quiescere, sed iustum ani-
mum ad cōdignam prouocauit iniuriā. Vnde rigidum morem cum
ingenita humanitate permiscens, ad uindictam accelerabat oppresso-
rum. Credidit enim religiosum & sanctum fore opus, si unum eminus
exterminando plurimos saluet, hæc secum cogitans, ad præstandam

salutis dexteram iis qui tam longinqua incoherent erigitur. Itaque militari ante apparatu de more indicto, tam pedestris quam equestris ordinis phalangas conuocat, & ad belli motum accenditur, postquam dei saluatoris inuocationem premia uictoribus proponit, & priorem turmam ferre salutare crucis signum demandat, cognoscite uero quid actum sit, ecce enim qui primi erant impetus ex aduersariis, deserentes socios, proiecere arma & ad regis transfugere castra, quos ille clementer suscepit gaudens de eorum euasione. Quo facto Lycinius fugam detestabilem nactus ad propugnaculum quoddam Thraciae se corripuit, inde expugnatus celeri perfugio uenit Philippopolim, illic pacem dare uictus qui euit. At denuo iudicatus hostis iterum ab Hadrianopoli fugatus, Byzantium se contulit, & transmittens Chrysopoli peruenit Nicomediam, illic priuato habitu & uili ueste incedens comprehenditur, ductusque per Thessalonicam ab exercitu interficitur, ex suis facinorosis ut praedictum est eminus iactatus. Deinceps euacuatum est tyrannica potestate Romanum imperium, & prouinciae orientales iunctae sunt occidentalibus, tanquam caput aliquod a corpore separatum, & rursus insitum. Quare latissima in toto fere orbe pax fuit, restituuntur quae christianorum sunt, & in altum tollunt. Daemonum arae cominuuntur in puluerem, ecclesiae splendido eriguntur apparatu, feruntur religiosissimae leges, graecus sub cruce ne militet, nemo quarta uel sexta aut dominica condemnatur, istud propter domini passionem atque mortem, hoc propter resurrectionem. Qui contra christum blasphemare attentauerint, capitali plectantur supplicio. Solos christianos praefici orbis terrarum gentibus posse, athletas christi uenerandos esse, ac templis oblationibusque ornandos. Vnde contigit ut & Celtae & Galli, & Daces, & Tauri & tam Hesperii quam Orientales homines, Hyberes item & Armenii & Persae, & Indi citeriores & simpliciter omnium regionum incolae lumen ueritatis acceptarent, suosque deos propriis manibus contererent, hoc non tulit malignus daemon, optimam uoluntatem nostram considerans, Sed rursus miscendo turbare ecclesiam studuit. Quendam enim Arium inuenit ecclesiae Alexandrinae presbyterum, quo tanquam instrumento suae prauitatis uteretur, & flatu eius inueheretur aduersus sanctorum ecclesiam, & ut breui complectar, obsessus maligno spiritu Arius mouebatur, ut & diceret & doceret fuisse aliquando tempus, quando non fuisset postea tamen natus esset christus uerus deus noster, addiderat nihilominus

adhuc asseuerans eum fuisse creaturam et passibilem et mutabilem, et alterabilem, qui tamen est creator increatus, impassibilis, immutabilis permanens, Præterea qui est absq; tempore sine loco, sub nullo sensu cadēs, secūdum deitatis rationem, Eum esse sensibilem, localem & temporalem nugabatur, hoc modo nō mediocrem in partibus Lybiæ suscitauit dissentionem atq; turbam. Quāq; saepe & multum à magno Alexandrinorum episcopo Alexandro, ne talem perfidiam doceret, fraterne fuerat commonitus, cuius tamen consilium sequi maledictus ille recusauit, ea cognoscens beatus & Magnus rex Cōstantinus, singulos undiq; episcopos in urbem Nicæam cōuocat, mandans publicis uehiculis eos adduci, putauit enim reipubli. interesse. Quod dubiorum propositiones simul uniuersi agnoscerent, iudiciūq; commune super his conferrent, ut sic una fide & una sententia deus unus in toto orbe collaudetur. Stata uero die cum dubia solui cōduerunt, domus quædam in regia ingens & spaciōsa ad eam rem omni apparatu ornata est. Sessionum quoq; scamna secus parietes secūdum qualibet latera plus numero conuenientium patrum, & in medio erectior quædam sedes erat parua & non preciosa. Cōgregato itaq; in unum sacro concilio, intrauit & ipse rex omnium ultimus, uultu gratioso & perbenigno, statura corporis neq; lōga nimis, neq; minuta, latior aut̄ humeris, & crassa ceruice, colore subrubido. Cæsariem capitis non admodū densā, menti aut̄ & genarū alioqui rarā habens & purā, neq; ubiuis in facie crescentē, nasū aquilinū, uisū instar leonis. Continētissimus in iis erat quæ ad concupiscentiam uentris spectant, quo plurimos sibi morbos abigebat corporis, si quando non belle ualere cœperat. Nec prius sedebat q̄ sacratissimus eū conuentus ad sedendū hortaretur, Videns autem quosdam ex choro patrū oculis in dextera parte priuatos, certiorq; factus q̄ propter confessionem christi hæc passi essent sub Diocletiano Maximianōq; confestim assurgit, et folliculos uulnerū exosculatur, credens id sibi in uim benedictionis cessurum. Tāta erat admirandus hic uir & reuerentia & fide & modestia illustratus. Hæc rex ille reuera magnus, sed diuinus ipse pontificum confessus, laudum & præconiorum floribus caput eius coronātes, studia diuinorum benedictionibus suis crebro interpellabant. Sequēti uero die cum utrinq; aduersus alterutrum uarie tumultuarentur, fierētq; auditorii cōfusus strepitus. Rex ipse graues casus circiter Diocletiani & Maximiani tempora perniciosasq; christianorum persecuciones recēsuit, quas iam dei

prouidentia in tranquillitatē & bonū ecclesiæ statū uertisset, hæc reci-
 tado & inducendo lōgius ad cōcordiā est omnes simul hortatus. Cū ue-
 ro accederēt quidā contentiosi & inimicitarū appetētes, quorū singu-
 li cōscriptos cōtra quotūquēq; suū episcopū accusatorios libellos regi
 porrigerent, suscepit oēs annulōq; proprio cōsignans in arcula seruari
 iussit, pacēq; facta & reductis om̄ibus ad cōcordiā, mandauit cōsigna-
 tos proferri libellos, quos cūctis p̄sentibus & intuentibus igni & flāmis
 cremandos tradidit, iureiurando palā protestatus se nihil eorū quæ in
 eisdē fuissent scripta legisse. Nequaq; em̄ utile esse dicebat, errata sacer-
 dotū manifesta fieri multis, ne hinc suæ ruinæ allegantes excusationē
 intrepide peccent. Ego em̄ inquit si solus spectator euenirem episcopo
 qui alienas nuptias infringeret, certe palliarē hac mea purpura illegiti-
 mum facinus, ne talium perpetratorum aspectus noceret intuentibus.
 Sic igitur & dicentes compescuit, & contradicentes suauiter sedauit,
 persuasibili commonitione omnes in unam trahens concordiam,
 Tunc omouison id est consubstantialē patri filium una uoce conci-
 lii prædicans, rebelles uero tanquam inutiles in exilium proscribens,
 postquam uniuersos paris sententiæ ac unius opinionis stabiliuerat,
 quemlibet eorum propriam recipere ecclesiam promisit, retentis pri-
 us à patribus frugum primitiis, ut eam ciuitatem quam de suo nomi-
 ne exadificaturus sit aliqua etiam benedictionē dignarentur. Quia ue-
 ro amplissimæ urbis meminimus, opus est ut aliqua de ipsa explicē-
 mus tanq̄ in trāsitu. Et aiunt quādo apud se urbē sui nōis fundare cōsti-
 tuisset, sedisse in animo, ut campū ei rei aptissimū eligeret, ubi quondā
 Iliū stetit, circū Aiacis sepulchrū. Sed in somno monēte deo in aliā
 sententiā reductū mutasse cōsiliū, & in loco Byzantii fundamenta iecisse.
 Lustratis ante totius loci circūcirca cōmoditatibus, & amœnita-
 tis & situs & tēperamēti & aeris, & q̄ maritima circū quaq; pura essent
 & moles in altum eleuata, quo habitari queat in recuruis cavitatibus.
 Processit ultra consueto beneficio, & oriētē uersus palatiū exadifica-
 uit iucundissimū, & uariis deliciis refertum, mari propinquū, adiunxit
 equorum stabulū, & duo maxima nauigia. Quæ quidē adificia si quis
 recte pro artis & prudentiæ modulo sicut sunt facta diligenter fuerit
 contemplatus, asseuerabit ea nō in secundis Phidiæ reponenda fore.
 Post hæc templa extruxit sanctæ pacis, sanctorum apostolorum, san-
 cti Mocii, sancti Agathonici martyris, & cætera, Iussit etiam purgari
 aream in medio urbis, & splendidis lapidibus pauimentum sternere.

Illic etiã fieri hemisphæria columnis & porticibus extẽta, unum ad uersus australem plagã, & cõtra borealem alterum, ut populo forum quasi quibusdam limitibus disterneret. In summitate lapides posu it eiusdem naturæ, sed sculpturæ diuersæ, in quibus omnem artificum industriam publice spectatoribus cernere licebat, ut simul & ornãmẽ to esset ciuitati, mercatoribus cõmodo, qui uenalia in hemisphæriis reponerent, quo minus à transeuntibus molestarent, idq; nominauit forũ. Caterum aliã erexit columnã uno marmore porphyritico exci sam, quam Roma abduxit circulis æreis cinctã. Eam in medio statuit effigiatam, in uertice quidem gestantem suæ figuræ statuam, Ad pe des autem, duodecim cophinos quos christus benedixit, et simul sanctorum reliquias & ueneranda ligna, ut esset ad firmamentũ & custo diam urbis posita. In secessu autẽ & portu quo loco diuinas apparitio nes & mysticas uisiones acceperat, illuc Michaelis archangeli templũ construxit. Et postq; incidimus in speciosa eius adificia, parũ comme morabimur quæ per matrẽ in palæstina fieri fecit, nihil de studio in ueniendi sacra illa ligna referentes, eo q; facultatem nostrã excedat. Helena etiã colendissima & omniũ religiosissima mulier, amore quo ad res diuinas erat affecta ducebatur, ut hierosolymã uisitaret, aliãq; circũquãq; religiosa loca, eõ cum accessisset, essetq; & filii & regis adiu ta literis, cõpertum habuit diuinum & colendissimũ christi sepulchrũ aggere multo & quodam idolorum phano à græcis defossum ac ob structum esse. Quem locũ purgando cum phanum & colles tum agge res & alias sordes abiici longeq; moueri iussit. Ita sancti sanctorũ repe rit monumentũ. Ibiq; templum adorationis in cõmemorationem re surrectionis saluatori nostro IESV christo decentissimũ statuit. Mul ta etiã gratissimo cum animo dona obtulit, Inuenit & uenerabilẽ atq; uiuificantem domini crucem, ad quã ob nostra scelera uolens & libes appensus est. Item & uenerãdissimos clauos, quorũ aliquibus in seruo atq; corona utebat, reliquos filio regi dono mittebat. Sed & in Beth lehem & in monte oliueti ecclesias struxit, ubi religiose uitam degens supplicationibus indefessis diuinitatẽ adorauit. Octoginta erat anno rum quãdo Constantinopolim regressa est, & illic tandem deo beatã reddidit animam iusto funere illustratam. Dicũt profecto eam omni ad imitationem christi humilitate fuisse ornatã, & erga omnes quidẽ, maxime autẽ solitariorum id est monachorũ sanctissimum ordinem

plurimam reuerentiam & misericordiam gessisse. Cum iis qui uitam
 cœlibem castamq; ducebant crebrius conuersata est, stramineis lectis
 recumbens, & post somnũ uirginibus necessaria ministrans, panem ap
 ponens & pocula præbens, aquam etiã manibus omnium fundens, ancil
 læ peragebat ministeriũ. Talis ac tanta cum esset, multo magis excel
 lenti eam honore atq; premio filius prosequabatur. Vnde mortuæ fu
 nus ipsemet præibat digna ei legitimaq; persoluens. In eo uir ille ma
 gnus unice fuit occupatus, ut quotidie cogitaret quo pacto posset e
 medio tollere idololatriæ memoriã. Itaq; aras atq; statuas dæmonio
 rum a fundo sustulit, eorumq; nomina deleuit, non in ipsa insigni &
 maxima urbe tñ, uerum etiã in toto quoq; orbe. Tempia uero sacra
 & deo dicata sapius & in ipsa regnatrice ciuitate frequetauit, & in Ni
 comedia & in quercu Mambrae ubi saluator Abrahæ uisus est, & in
 omni circũcirca regione, ne cuncta enumerare oporteat. Quibus obla
 tiones & munera dedit & terras possessioni eorũ ascripsit, simul & la
 cus, ut tam à fundis q̃ à profundis uictum quærerent. Quid autẽ? Num
 tanta & tam clara erigens adificia, etiã ea bonis artibus uacua permi
 sit? uel propter rerum gerendarũ quotidianam molestiã, uel quod sæ
 pe fit propter ignorantiam? Non certe. Sed quomodo summa adhi
 buit diligentia ad adium constructionem ut fierent q̃ornatissime? ita
 studiũ frequens circa libros impendit, ut uolumina essent & uerissima
 & pulcherrima. Quod indicant ipsius ad Eusebiũ Casariæ episcopum
 literæ, quas equidẽ nisi uererer oratiõis fastidium historiæ huic inseru
 issem. Fertur post hac Iulianus transfuga quascũq; magnus ille rex de
 derit ecclesiæ dotes diminuisse, ac eis tertiã solum partem reliquisse.
 Igitur rex Constantinus proficiendo ecclesiis tam in ædificiis q̃ recta
 fide, tamen nequaq; aliis deerat rebus gerendis. Sed liberalis fuit, & sin
 gulas prouincias dignitatibus & prærogatiuis quãlibet pro sua condi
 tione donabat. Tempora uero imperii sui plurimũ cupiebat esse uni
 uersis subditis grata & accepta, toleratuq; leuia. Quapropter uestigali
 bus tertiã partem ademit, & agrorũ dominis tradidit. Et si quis cõde
 mnatus in pecunia supplicabat, facile de suo remisit. Pro eo itaq; deus
 illi cõpensationem uicissim retribuit, & scythas pedibus se suis proster
 nere fecit. Sauromatas item barbarorũq; aliorũ innumeras nationes.
 Emũero Saborius Persarũ rex fortitudinẽ uiri & pietatem aliãsq; ob
 stupefcens uirtutes, tum q̃ formidaret, ne cõtra se arma moueret, suos

ad eum misit legatos, quos ut decebat magnifice rex noster suscepit. Datisq; ad Soborium literis tm̄ opera & studio per eosdē legatos effecit, ut om̄es in Perfide christiani libere uiuerent & sincere diligerent. Vbi uero triginta iam annos regnasset, tum diuinissimā super regali trinitati, filiorū suorum trinitatē diuersis tamē temporibus obtulit. In primo em̄ decennio primū ex liberis susceptū consimili nomine Constantinum. In secundo uero decennio secundū filium patris sui nomē ferentem Constantiū hoc est anno uigesimo. Tertium autē Constantē circiter tertium decennium ad honorē regni & status magnitudinem prouexit. Cumq; Hierosolymis esset, omni studio curauit episcoporū sacro conuentui nihil deesse. Ideoq; promisit gratiarū se munera quo libet decēni tempore quoad uiueret ob honorē filiorū deo saluatori oblaturum. Viso itaq; eo sibi q; orbis terrarū duo latera obtinuisset, deinceps totum regni principatū in tres partes tribus filiis diuisit, quasi paternā substantiā inter charissimos partiretur hāeres. Quā enim pater suus dimiserat assignauit maiori, orientis autē regnum secundo, eorūmq; mediū tertio, Iisdem bonā hāereditatē & animarū salutem & religionis ueræ sementem iisdem relinquens, quos & promouit bonis literis & disciplinis, ut haberēt p̄ceptores religiosos atq; probatos, et id quidem dum essent teneriori adhuc ætate cæsares, aliud em̄ nihil desyderabat in liberis q̄ ut fierent religiosi atq; sui similes. Postq̄ uniuersa hæc in honorē summæ trinitatis condecenter disposuerat. Deus omnis boni administrator quasi omnino re bene acta, tempus ei opportunū quo ab hoc mundo trāssumeretur cōstituit ut naturæ debita solueret. Expletis scilicet duobus supra triginta imperii sui annis, et mensibus quoq; duobus et diebus totidē, uitæ uero eius duplicato numero. Quando infractū adhuc ætatis robur et corpus solidum erat, et totus probro carens, ac quasi adolēscēte adolēscētiore. Pulchrum fuit aspectu, uidere fortem uirum ad omne aptum exercitii genus et ad omnia uiarum discrimina paratum, et consuetas sine graui labore de inimicis sumere uictorias affectum, tantā nihilominus animi perfectionem in humanis consecutum, ut cum rebus honestissimis omnibus abundaret, tum maxime profecto humanitatis laude. Dignum uero meminisse arbitror tanti uiri mortē, uel potius interitum. Audito em̄ Persarū motu cōfidēs antiquā illi affuturā belli uictoriā, excitauit militares ordines, cumq; ad oppidum uenisset cognomēto matris appel-

latum, sensit quandam corporis ineptitudinem, et aliquantulam me-
 diocrémq; febrem, quæ ubi fortior insurrexit, ad deum suum assum-
 ptus est, mortalibus quod mortale est tradens, quod uero mentis ac re-
 ligiosum, deo reddens. Hic Magni regis Cōstantini finis uitæ. Hic fuit
 innumerabilium eius dispositionum terminus. Secundus uero è filiis
 tumbam patris in urbem detulit, semperq; præsens uecturæ nõ modo
 præfuit, uerum etiã interfuit. Portabant illum per cuneos gradatim
 militares ordines, sequutãq; sunt uirorum multa millia. Hastati aut̃ et
 armati circuibant corpus regis. Vbi uero ad templum apostolorũ sal-
 uatoris uentum est, quo in loco sibi monumentũ locauerat, Constan-
 tius ipse rex corpus patris amplexus cum multis lachrymis desumpsit,
 et suis manibus in monumentũ reposuit. Quiq; astabãt se ipsos magis
 q̃ regem lamentabantur, cogitantes si unq̃ talem et tam utilem habi-
 turi essent regem. Sic nouit deus glorificare eos qui se glorificant, et iu-
 ste quidẽ. Si enim qui in membris solum eius diuinitatẽ procurauerit
 beatissimus iudicatur, et canit̃ ab omnibus, quanta dignus erit gloria
 qua laude, quo honore à christo rege dignandus is qui tanta et tam
 gloriosa statuit trophæa, qui et innumera gẽtium atq; linguarum ge-
 nera, ad uerissimam christi fidem reducens, tantæ multitudini autor
 fuit quo uere deum adorarent. Quapropter imitanda nobis est pro-
 uirili nostra tanti uiri uirtus. Quod si nequeamus aliis fore salutis
 causa, saltem per fidem puram, per beneficia et eleemosynas, per ab-
 stinentiam uoluptatum, per ueram pœnitentiam nobis ipsis salutem
 pariamus. Quo nos et præsentia bona non amittere, et apprehendere
 contingat futura.

Tubingæ apud Thomam Anshelmum Baden
 sem mense Augusto. Anno M. D. XIII.

